Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitivm Perfectionis, Et Virtvtvm Christianarvm

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

VI. De tribus gradibus paupertatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40105

Visual Library

omne quod hactenus collegimus bonum, & quidquid reliquimus, id diſperdamus *Quid enim inſipientiæ, imo quod inſaniæ eſt, vt qui maiora reliquimus, minora cum tanto diſcrimine teneamus?* Videre vis iacturam? rogat S. Bernardus: *Si mundum contempſimus vniuerſum; ſi abrenuntiauimus affectibus propinquorum; ſi Monaſteriorum carceri mancipauimus noſmetipſos, ſi denique non venimus voluntatem noſtram facere, ſed impoſuimus homines ſuper capita noſtra: quid non oportet fieri, ne forte contingat hæc omnia nobis in inſipientia noſtra & negligentia deperire?*

CAPVT VI.

De tribus gradibus paupertatis.

TRes paupertatis gradus à ſanctis Patribus, & vitæ ſpiritualis magiſtris communiter traduntur. Primus eſt eorum, qui quidem exterius res mundi deſeruere, ſed nondum interius, nec per voluntatem: imo vero adhuc erga eaſdem perdite afficiuntur. Et hos iam ante diximus non veros, ſed fictos eſſe pauperes, & falſo Religioſorum nomen obtinere. Alter paupertatis gradus eſt eorum, qui omnia quæ mundi ſunt, effectu ſimul & voluntate dimiſerunt, quin etiam hic in Religione omnem erga ſuperflua quidem affectum depoſuere, erga neceſſaria tamen mire afficiuntur, ſeduloque procurant, ne ſibi quid deſit eorum quæ ſibi neceſſaria ſunt, atque in omnibus, ſcilicet in victu, veſtitu, cubiculo, & omni denique re alia, bene ſibi commodeque proſpectum cupiunt: vnde ſi quid in iis defuerit, dolent, conqueruntur & expoſtulant. Hæc non eſt perfecta paupertas.

Vnde egregie S. Bernardus: Dolendum ſane & deplorandum inprimis eſt, tot hodierna die reperiri, qui ſpecioſo paupertatis nomine gloriantur, & taliter eſſe pauperes volunt, nihil vt ſibi velint deeſſe, ſed omnia quã abundantiſſime ſuppetere. Hæc non tam inopia & paupertas eſt, quam copia & opulentia: & quidem tanta, vt ne diuites quidem huius ſæculi parem habeant: vtpote quibus non raro multa in his rebus deſunt: modo quidem, quia non habent per omnia quæcunque deſiderant: alias ne quid de rebus ſuis expendant, hinc magis ex parſimonia abſtinent & ſe continent, quam nos ex amore virtutis: alias denique quia, eſto omnia habeant, & etiam inſumere audeant, famuli tamen vſquequaque ad lubitum & mentem ipſis non ſeruiunt. Tu vero, qui Religioſus es, & paupertatẽ profiteris, quin imo votum eiuſdem concepiſti, nullam pati neceſſitatem cupis, & nulla re carere. Hoc non eſt paupertatis, ſed commodorum tuorum amicum & cupidum eſſe, & velle vt omnia tibi affatim ſuppetant. Forſitan etiam in mundo multo plura nobis deeſſent. Diſſentaneũ proinde ac nefas eſt, vt in Religione, ad quam venimus vt nos mortificaremus, ac pœnitentiam ageremus, maiores delicias & commoditates ſectemur, quam in mundo habuiſſemus.

Idem S. Vincent. tract. de vita ſpirit. c. 1.

Arbert. Magn in paradiſo anim c. 5.

Paupertas quæ nihil ſibi vult deeſſe, non eſt inopia, ſed plus quam diuitum omnium copia.

Paupertas proprij ſemper commodi ſatagens Religioſum dedecet.

Si ergo ad ipſam paupertatis huius ſpiritus perfectionem peruenire volumus, ſi nomen Religioſi prorſus adimplere, & vt vita noſtra cum nomine quo dicimur coincidat, vlterius ad tertiũ paupertatis gradum vt tranſeamus, nobis enitendum eſt, qui eſt, *paupertas neceſſariorum: Vere enim pauper etiam neceſſaria parui pendit.* Oportet inquam affectum, non ſolum ſuperfluarum, & quibus haud ægre careri poteſt, verum etiam neceſſariarum rerũ deponere: adeo vt etiam in his vere ſimus pauperes, & affectum & deſideriũ quoddã paupertatis oſtẽdamus; & eſto eis ex toto carere, & prorſus relinquere non poſſimus, id ſaltem quod neceſſarium eſt, ſatis parce & limitate vſurpemus; hancq; neceſſitatem non nimis extendamus aut dilatemus, ſed quam poſſumus arctiſſimam & anguſtiſſimam faciamus, gaudentes ſemper aliquid quoad hoc, ex amore paupertatis, pati.

Paupertas perfecta etiam res vitæ neceſſarias negligit.

Paupertas perfecta neceſſariis parce vtitur.

Scribit

S. Vincent. de vita ſpirit. c. 1.

Scribit quidam vir ſanctus: Laudabile non eſt, aliquem pauperem eſſe, niſi dum cum pauperrimus eſt, eam qua laborat paupertatem diligit, ea gaudet, eam perfert, & quicumque in eadem occurrunt defectus & carentiæ, æquo animo ex amore Chriſti Ieſu tolerat. Qui ergo videre vult, verene pauper ſpiritu ſit, & num in eo proficiat, videat num paupertatis effectibus, nec non eiuſdem amicis & ſodalibus (puta fame, ſiti, frigore, defatigatione, nuditate) lætetur. Vide num veſte trita obſoletaque, & calceis veteribus læteris: vide num gaudeas, cum quid in menſa tibi deeſt, quando in re aliqua præteriris, quando quid non vſque adeo ad palatum tuum eſt: vide denique, num volupe tibi ſit, cum cubiculum vſquequaque accommodum non eſt. Si enim in his non gaudeas, niſi hæc non ames, ſed declines, nondum ad ſpiritus paupertatem perueniſti; quod poſtea vberius declarabimus.

Vere pauper eſt ſpiritu, qui paupertatis delectatur incommodis.

CAPVT VII.

Aliqua ad paupertatem ſpiritus conſequendam, eamque conſeruandam media ſuggeruntur.

AD paupertatem ſpiritus obtinendam, illiuſque conuerſationem non parum adiuuabit, primo id, quod B. P. N. in Conſtitutionibus quoad eandem ſanxit: *Omnes nulla re tamquam propria vtantur.* Id ipſemet egregia ſimilitudine indicauit; dicebat quippe Religioſum in omnibus quibus vtitur cogitare debere, ſe ijs perinde ac ſtatua ſolet, veſtiri & ordinari: nam vti hæc nullo modo reſiſtit dum ornamenta eius auferuntur, nec cur auferantur, quærit; pari modo tu te in veſte qua indueris, in libro, breuiario, & omni eo quo vteris geras oportet. Vt ſi tibi dicatur, vt ipſum alteri cedas, aut cum altero mutes, non magis inde doleas, quam ſtatua cum ſuis veſtibus ſpoliatur. Si id tali modo poſſideas, minimè id velut proprium duces. At ſi, cum tali cubiculo emigrare, tale quid à te abdicare, aut cum altero commutare iuberis, magnam in te repugnantiam ſentias, vel difficultatem, nec inſtar ſtatuæ te geras; ſignum euidens eſt, id te velut proprium duxiſſe, propterea quod doleas & angaris, cum ipſum tibi auferetur.

Pauper ſpiritu nulla re tanquã propria vtitur.

3. p. Conſtit. c. 1. § 7. & reg. 24. Summarij. Lib. 5. c. 4. Vita B. P. Ignatij.

Pauper religioſus in-

ſtar ſtatuæ ſinit ſe hoc vel illo veſtitu indui aut exui.

Hanc ob cauſam ſanxit B. P. vt Superiores noſtri ſubinde ſubditorum ſuorum quoad virtutem paupertatis & obedientiæ, periculum faciant ac tentent, perinde ac olim Deus, inquit, Abraham tentauit, vt qua quiſque virtutem habeat, appareat, hacque ratione illis detur occaſio magis in eadem creſcendi. Optima quædam probandi ratio, & conuenientiſſimum quoddam ad id quod dicimus, medium eſt, auferre nobis id quod habemus, & ipſum cum alio vt commutemus iubere. Quocirca S. Auguſtinus, de affectu erga res haſce terrenas loquens, ait, *Plerumque cum adſunt nobis, putamus quod non ea diligamus, ſed, cum abeſſe cœperint, inuenimus qui ſimus.* Si, dum vel ipſe rem aliquam relinquis, vel ab Superiore ea tibi tollitur, repugnantiam vel difficultatem aliquam in te ſentis, & fortaſſe tu te tentas; ſignum eſt te nimiopere erga eam affici; ex affectu enim dolor hic & ſenſus eſt enatus. *Hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine dolore diſcedit*, ait Auguſtinus; *& non relinquitur ſine dolore, quod cum delectatione retinetur.* Quando ſine dolore rei alicui renuntiamus & triſtitia, argumento id eſt, illi nos affectu non adhæſiſſe, nec perditè eam adamaſſe: at, quando cum dolore & amaritudine animi relinquimus, indicio eſt, mirè erga eam nos affectos fuiſſe. Optimum ergo & conſultiſſimum eſt, vt ſæpe nos hiſce in rebus Superiores exerceant, cubiculum quod fortaſſe commodum nobis erat, & erga quod valde affecti eramus, nos mutare, librum quoque carum dimittere, & veſtem cum alia incommodiore mutare iubendo; ne quid in huiuſmodi

3. p. Conſtit. c. 1. litt. V.

Paupertas religioſi ſubinde tentanda.

Lib. 1. de ſerm. Dom. in monte. & lib. de vera Relig. c. 4. & 48.

Paupertatis ſpecimen edit, qui rem, qua vtitur libenter relinquit.

Paupertatem ſuam recte explorant Superiores per rerum vtenſilium permutationem.